

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae
Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.
Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 8. De Canone usque ad Consecrationem

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

voces ut admitti jubeas deprecamur. Ita Angelicis junctus agminibus sacrum Trisagion psalles cum summa reverentia & fervore, qui tantus sit, ut quantum fieri potest, supernorum spirituum affectui correspondeat, & adaequetur. Si enim tremunt Potestates, quæ sunt veluti cœli columnæ, quanto debes horrore ac tremore concuti tu vilissimus terræ vermiculus, qui Deum toties & tam enormiter offendisti? Porro continet hic hymnus tres laudes, & duas petitiones. Nam primò laudas sanctitatem, potentiam, ac supremum Dei dominium, cum dicas *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.* Secundò celebras gloriam ejus, quæ in tot creaturis in cœlo & in terra tam mirabiliter elucet, his verbis: *Pleni sunt cœli & terra gloria tua.* Tertiò magnificas Christum Dominum dicens, *Benedictus qui venit in nomine Domini:* & cum hoc dicas, ipsum invitabis in animam tuam affectu omnium Sanctorum. Duæ vero petitiones insunt verbis istis, *Hosanna in excelsis,* quæ bis repetuntur, & illis salutem postulas, & quæ ad eam sunt necessaria, primò à Deo, deinde à Christo. Hic autem hymnus id est Canoni præmittitur, ut ex ipso admonearis te in maximi momenti negotio coram throno divinæ Majestatis consistere, ac veluti in Sancta sanctorum introire: & si hactenus oportuit te purum & ferventem esse, jam memineris te deinceps debere tanto ardore inflammari, ut eo possis omnes circumstantes, imò universum terrarum orbem succendere.

§. VIII. *De Canone usque ad Consecrationem.*

Hæc pars Missæ Canon dicitur, id est Regula, quæ in sacrificii oblatione servanda est. Constat autem, ut testatur Tridentinum Concilium, ex ipsis verbis Domini, ex Apostolorum traditionibus, ac summorum Pontificum institutionibus; nihilque continet quod non maximam redoleat pietatem & sanctitatem, atque offerentium mentes in Deum erigat, ut cum eo conjungantur.

Submissa voce recitatur, ut per silentium tum gravitas negotii, quod quasi secreto cum Deo tractatur; tum compositus, pacatusque animi status, qui ad hanc functionem ritè peragendam necessarius est, intelligatur. Ejus verba attente & devotè prolatæ ipsa literali significatio pios affectus suppeditabunt. Per particulam igitur connectitur cum præcedentibus: cum enim tibi Angelorum ministerio, quorum vocibus tuas adjungi in Præfatione rogasti, jam quasi pateat ad cælum via; statim fiducialiter ad thronum Dei accedis, & elevatis sursum oculis, expansisque manibus, preces tuas ad Deum effundis, per Christum eum rogans, uti accepta habeat *hac dona ab ipso nobis collata, hac munera à nobis ipsi oblata, hac sancta sacrificia*, quæ pro peccatis nostris offeruntur. Et primo quidem personam commemoras, cui oblatio dirigitur, nempè Deum Patrem: secundò, Mediatorem Christum Jesum: tertio, offrēntes, eorumque affectum: quartò, res oblatas, quas petis ut Deus accep-
tet & benedicat: quintò, eos pro quibus offertur, Ecclesiam scilicet, summum Pontificem, & alios: sextò, ea omnia, quæ consequi hac oblatione desideras, redemp-
tionem, salutem, incolumentem: septimò Beatam Virginem, & præcipuos Principes Curiæ cœlestis, quo-
rum suffragia memor tuæ imbecillitatis imploras, ut Deum tibi propitium reddant.

Ut omnium recordari possis, pro quibus orare debes, postquam dixisti, *Memento domine famulorum, famula-
rumque tuarum*: utque ipsæ preces vim habeant efficacio-
rem, multum proderit cum Christi Domini crucifixibus illas sociare, hunc ferè in modum. Primo, pro te ipso orabis per sanguinem pro nobis effusum, ut per illum ex-
pieris à peccatis, & eas virtutes obtineas, quæ tibi maxi-
mè sunt necessariae, & finalē perseverantiam. 2. Per latus transfixum Ecclesiam commendabis, quæ ex eo ora-
ta est. 3. Per caput spinis coronatum, Summum Pontifi-
cem, omnesque Principes, & Antistites. 4. Per vulnus

R r ij

dexteræ manus , amicos , consanguineos , & benefactores .
 5. Per vulnus sinistræ , omnes qui te oderunt , vel aliqua molestia aut scando affecerunt . 6. Per dextrum pedem transforatum , personas , & negotia à superioribus commendata . 7. Per sinistrum , omnes qui sunt in peccato mortali , ut in dexteram partem transferantur . 8. Per flagella , sputa , & alapas , ethnico , hæretico , cæterosque infideles , qui Deum contumeliis afficiunt . 9. Per crucifixionem . Religiosos omnium ordinum , ut crucem voluntariæ asperitatis libenter ferant . 10. Per sitim , eos omnes qui tuas preces expetunt . 11. Per angorem , quem in horto pati voluit , omnes qui in aliqua calamitate , periculo , necessitate , tentatione , aut molestia versantur . 12. Per mortem & sepulturam , justos omnes , ut cum ipso sepulti semper in justitia perseverent . Speciatim verò pro illis orabis , quorum te Deus meminisse vult , tu nescis : pro his quoq; Deus maximè diligit , licet eorum numerum , & nomina ignores ; id enim gratissimum illi est , ut amicorum ejus memor sis . Ab his autem orationibus te brevissimè expedes , imitatus Ecclesiam , quæ paucissimis verbis se ipsam , Summum Pontificem , & Antistitem , omnesque orthodoxos commendat . Neque enim decet privatæ causas prolixius quam publicas tractare , præsertim apud eum Principem , qui omnia scit , & nos admonuit , ne orantes multum loquamur . Consultius itaque erit pro omnibus ante Missam fusiis orare , ut in ipsa brevior sis .

Postquam verò privatæ devotioni satisfecisti , rursum publicas Ecclesiæ preces assumis pro circumstantibus & pro offerentibus , sive præsentes sint , sive absentes : & quia sacrificium jam oblatum fuit in expiationem culparum , in gratiarum actionem , & impetrationem omnium beneficiorum , jam primarius ejus finis exprimitur hac oratione , *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ , qua protestaris & agnoscis supremum Dei dominum , & inseparabilem nostram servitutem ac subjectionem ; expansis manibus*

super oblata veteri ritu, ut ea transferas in Dei potestatem, ipsum exorans, ut ab aeterna damnatione nos eripi jubeat, & in electorum suorum grege numerari. Tum ipsi commendas sacrificii oblationem, ut eam in omnibus benedictam, & inter dona sibi grata ad scriptam & ratam, sive approbatam, & confirmatam: atque rationabilem, divinis scilicet rationibus congruentem, ac tandem acceptabilem, id est dignam, quae non solum ex parte doni, sed etiam ex parte ministri offerentis à Deo acceptetur non quidem ex nostris meritis habere, sed sua gratia facere dignetur. Porro ad illa verba, *Vt nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Iesu Christi;* actuali & expressam intentionem renovabis consecrandi corpus & sanguinem Christi per transsubstantiationem panis & vini Christi verbis conficiendam.

§. IX. *De Consecratione usque ad Orationem Dominicam.*

POst multas oblationes verbis haec tenus expressas, sequitur tandem realis oblatio, qua idem Christus in cruentè immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit. Quod si haec tenus necessaria fuit puritas, humilitas, & reverentia; multò major nunc requiritur, cum ad tremendum mysterium non sine timore & horrore perficiendum appropinquas. Humilia te igitur quantum potes, & recordare quid acciderit Ozæ: tum ea Christi verba tibi ad aurem dici existimā: *Ecce appropinquat hora & filius hominis tradetur in manus peccatoris.* Considera te hic Christi personam gerere, totumque hominem internum & externum ad ejus majestatem & sanctitatem compone: & cura ne quid sit in te dissonum à persona quam sustines.

Hæc verba, *Qui pridie quam pateretur,* proferuntur historicè, & recitativè, ut inspicias & facias secundum exemplar, quod tibi à Christo Domino monstratum est. Cum dicas, *Accepit panem in sanctas ac venerabiles ma-*

Rr iiij